

SCRIPTA

Numéro Scripta : 2637

Auteur(s) : Renaud, Bellême, Saint-Léonard, dépendance Saint-Martin de Marmoutier (prieur)

Auteur(s) : Angot, Bellême (doyen)

Auteur(s) : Rotrou, Bellavilliers (seigneur)

Bénéficiaire(s) : Tours, Saint-Martin de Marmoutier (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1225, février

Lieu d'émission : Le Pin

Action juridique : règlement conflit

Langue du texte : latin

Analyse

Confirmation par Renaud, prieur de Bellême, Angot, doyen, Rotrou, seigneur de Bellavilliers, de l'accord précédent ; — accord entre le seigneur de Bellavilliers et le prieur sur leur différend, relativement à la terre d'André Picole.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Barret Philibert (Abbé), *Cartulaire de Marmoutier pour le Perche*, Mortagne-au-Perche, Meaux (Documents sur la province du Perche ; 3e série, 2), 1894, n° 142, p. 147.

Texte établi d'après a

Universis presentes litteras inspecturis R[aginaldus] prior de Belismo, A[ngotus] decanus Belismensis, R[otrodus] dominus de Bellaviller, salutem in Domino.

Noverit universitas vestra quod cum contentio verteretur, auctoritate apostolica, coram iudicibus Turonensibus, inter abbatem et conventum Majoris Monasterii, ex una parte, et dictum dominum et personam et parochianos de Bellaviller, ex altera, super decimis novalium sitorum in parochia de Bellaviller, quos dictus dominus dederat, ut asserebat, ad serviendum ad medietatem unius lampadis in ecclesia nominata ; et dictus abbas et conventus assererent easdem decimas ad ipsos ratione privilegii sui pertinere, tandem amicabile compositio inter eos intervenit in hunc modum : quod prior de Belismo percipiet duas partes omnium decimarum omnium novalium in parochia de Bellaviller sitorum, et persona de Bellaviller terciam, et omnes decime nominate venient ad grangiam monachorum de Belismo sicut et alie.

Super alia vero contentione que erat inter abbatem et conventum nominatos, ex una parte, et dictum dominum de Bellaviller, ex altera, super terra in qua Andreas Peicole dederat prioratui de Belismo tres solidos annui redditus, dictus dominus de Bellaviller ibidem fecerat quasdam domos, in eorum prejudicium ut dicebant ; compositum fuit in hunc modum : quod dictus dominus de Bellaviller faciet prioratui de Belismo rationabile excambium ad arbitrium bonorum virorum a tribus, si opus fuerit, electorum. Et idem dominus de Bellaviller tenetur procurare quod homines, qui tenebant dictam terram, assensum prebeant in dicto excambio faciendo, et ne dicti prior et dominus de Bellaviller contra predicta venire possint aliquo tempore, presentes litteras sigillorum suorum

munimine confirmarunt ; me decano de Belismo, coram quo predicta facta sunt, ad petitionem [monachorum] et domini de Bellaviller et aliorum predictorum, sigillum insuper meum apponente.
Actum est in ecclesia de Pinu, anno gratie M° CC° XX° quarto mense februario.